



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eo, pro quibus causis quemlibet hominem anathematis vinculo ligari  
oporteat. lxiiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

*De eo pro quibus causis quemlibet hominem anathematis vinculo ligari oporteat. Cap. LXXVIII*

*Ex eodē,  
cap. 30.*

**Q**uæsitum est in eadem synodo, pro quibus causis quemlibet hominem episcopali autoritate, vinculo anathematis ligari oporteat, atque vnanimi eorum sententia decretum est, pro his tribus criminibus fieri debere: cum ad synodum canonicè iussus venire contemnit. Aut postquam illuc venerit, sacerdotalibus rebus obedire præceptis. Aut ante finitam causæ suæ examinationem, à synodo profugus abire præsumit.

*De illis qui furtum & rapinam exercuerint.  
Caput LXXV.*

*Ex eodē,  
cap. 31.*

**T**Ranquillitatem sanctæ Dei ecclesiæ inquietari, & pacem fraternam infestari testantur, fures & latrones, qui ambulant inter nos ouina pelle obumbrati, sed lupinamente recedunt alienati, sæua mente res Ecclesiarum ducti rapientes, & gregem dominicum spoliando lacerantes, de quibus saluator in Euangelio commemorat: *Quis intrat per ostium in ouile ouium, ille fur est & latro.* Augustinus subiunxit: *Fur non venit nisi vt fureretur, & mactet, & perdat.* Vbi quamuis hæreticos qui fidem furantur Ecclesiæ designet, tamen insequutione furum & latronum, turpe tam monstrat pacem Ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philippenses: *Videte canes, videte malos operarios.* Canes vocauit, qui non habent verecundiam. Malos operarios quia nulla faciunt quæ pietati conueniant. Et dominus per prophetam Esaiam: *Ego dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam.* Vnde nos quæ dominus diligit diligentes, & quæ odio habentes, statuimus & iudicamus, si quis post hæc Euangelica & apostolica atque prophetica verba, & definitionem pacatissimæ synodi, inuenta fuerit furtum aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo datur in memoriam clericorum nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. Beatus Augustinus de talibus horribilem profert sententiam, dicens: *Nemo te post mortem fideliter redimit: quia tu te redimere noluisti.* Si autem fur, vel latro, vulneratus elabatur, & expectatione mori